



**C**lementiæ definitiones varias esse, nemo inter doctos ignorat, ut regiam decet virtutem. Decet enim illam magnificis verbis quasi peristromate vario circumscribiatq; exornari. Quid autem est clementia? Clementia est, temperantia animi in potestate ulciscendi; Vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis: vel dici potest inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Vel clementia est moderatio aliquid ex debita pœna remittens. At hic reclamabit severus Cato, si debita est pœna, quomodo remitti potest, cum nulla virtus quippiam minus debito facere possit? Esto, remittat de debito clementia, virtus esse non desinet; potest enim aliquid rigoris prætermittere, quem exercere absq; iniustitia in nocentem posset. Temperantiam ergo adhibebit, quia prudentia dicit, aliquid remitti posse de pœna, quam sine ullius injuriâ vel ad normam legum exigere posset. Quisquis ergo sic agit, Clemens dicitur. Eaq; remissio clementia dicitur. Clementiam quippe exercere est conforme cum natura rationali, verum etiam honestissimum, præsertim si nec bonum publicum, nec conditio rei damnum aliquod sit passura. Et quidem tum vindicat sibi prudentia locum indulgentiæ majoris, si cæco impetu, non deliberatè, non studio peccandi, scelus est admissum. Hæc enim spectat clementia secundum Senecam lib. 1. de ira cap. ultimo. Dimittit sæpe enim cujus peccatum reprehendit, si pœnitentiæ facti spem bonam pollicetur: Si intellexit non ex alto venire nequitiam; Sed summo quod ajunt, animo inhære, dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram. Nonnunquam magna scelera lenius quam minora compefcit, si illa ipsa non crudelitate commissa: his sæpe inest latens, & inveterata calliditas. Idem delictum in duobus non eodem modo afficiet; Si alter per negligentiam; Alter curavit, ut esset nocens. De quo pulchre lib. 2. de clementia in fine, *sapiens Multa remittet; multos parum sani, sed sanabilis ingenii servabit*: Quid pulchrius & admirabilius, quam cum, cujus iræ nihil obstat, sibi manus injicere, & placidius uti sua potestate, quam ipse nocens expectet, sententiæ latæ assentiri, cum est perendum. Divus Augustinus Lib. 85. Q. 31. describit clementiam esse, per quam animi temerè in odium alicujus invectionis concitati comitate retinentur. Quæ descriptio & mansuetudini aptari potest, nam per utramq; retinetur animus: Per clementiam in punitione externa; Per mansuetudinem in interno motu iræ: sunt tamen diversæ virtutes; nam alia est difficultas atq; etiam laus in refrenanda ira, & alia in moderanda externa punitione. Moderatio siquidem punitionis externæ ex certa pendet intelligentia ejus, quod decet: Moderatio autem iræ per se difficilis, propter impetum appetitus irascibilis. Clementia versatur circa moderationem supplicii: Mansuetudo verò circa iræ temperamentum. Itaq; in uno facto sæpe se prædit clementia & mansuetudo. Urgebatur Constantinus Magnus ab Aulicis ad ultionem contractæ suæ statuæ: at is victor & iræ, & clementiæ Avidus placidissimè respondit: *Caput mihi præstat integrum Et innoxium,*

B

nullum